



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 13. Deo fidens inuenit, quod nimis sollicitus negligit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

illico in genua, & præ gaudio, lachrymans
in diuini Largitoris laudes effunditur. Con-
currunt ad clamorem socij, cōcurrit & prati-
dominus miles: vident nummum non vulgari
modo, sed prodigiōsè inscriptū. Miles, qui
olim aliquot annos, inter scholas, haud ma-
gno sanè operæ precio contriuerat, litteratā
tamen monetam, voce patria, legit, & hunc
ferè sensum inuenit, *Manus Dei me compe-*
git; & in donum me redegit pauperi: qui non in-
fregit diem Sancto celebrem. Nummum hunc
vxor militis tanti fecit, vt magna pecuniæ
summa eum emptum multis postea, in rei ge-
stæ testimonium memoriāque, commo-
strârit.

§. XIII.

*Deo fidens inuenit, quod nimis sollicitus
negligit.*

Narrabo hîc, quòd à viro diligente atque
industriō in eandem rem narratum habeo.
Duo vnà iter faciebant, quorum vnus in per-
peti metu de victu comparando versabatur,
alter verò de Dei Prouidentiā certus ac sui
securus plenus lætitijs pergebat. Hoc mira-
ri ille, & è socio quærere; quænam res ei tan-
tam animi tranquillitatem adferret? Nam
ego

ego, inquiebat, curis conficior, & quando de futura vitæ sustentatione cogito, intemperijs agitor. At ego, inquit alter, dudum hæc examissim cogitavi, curamque omnem in eū conieci, *Per quem nec ales esurit*. Quamquam neque otiosè vitam agere decreui, sed statui, manū cum Deo mouere. Quia igitur immobili adhæreo, ideò quietus sum. *Quid verò est, manum cum Deo mouere?* rogat iste. Cui alter *Fideliter*, inquit, *artem, quam didici, exercebo: cetera Deo permittam*. Dictum hoc impio risu excepit anxius ille, dicens: *Vidisse se multos Deo fretos deceptos esse*. Mox ergo relapsus ad suas dubitationes, & deliberationes cœpit; inter alia, percelli metu cæcitatatis; *Et quid, inquit, te futurum esset, si cæcus fieres?* In hac formidine, incipit tentare, quomodo cæcus factus progredi posset? Itaque oculos claudit, cautèq; manu prætenta, magno spatio nouus andabata progreditur. Verùm ita sponte cæcus marsupium auro grauidum, in viâ iacens, præterit, quod ponè subsequens socius conspectum illico sustulit; dicens; sollicitudine nimia excæcatus diuinæ Providentiæ largitatem non videre. Quia igitur in hunc modum *adinuit pauperem de inopia: venite & timete*
Domini

Psal. 106:
41.

Dominum omnes Sancti eius : quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Huc ergo, qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite : venite emite absq; argento.

§. XIV.

Vtilissima pecunia, per piam usuram, augenda ars, dare pauperibus.

Absque argento emit, qui spe & fiducia in Deum emit : absq; argento emit, qui non confidit in multitudine diuitiarum : absq; argento emit ; qui argentum dispergit & dat pauperibus ; nam centuplum accipit, etiam in hac vita. Luculentam rem recenset Ioannes Moscus cognomento Euratus, his verbis : Cum in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domini Pauli candidati, dicens : cum essem in ciuitate Nisiba : erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die vero quodam ait vir uxori suae : Demus hac numismata feneratori, ut aliquod solatium ex eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona uxor ait viro, si placet ea fenerari, veni, demus illa sub

H feno-

Psal. 33.

10.

Isa. 55. 1a

Io. Mos-
scus Eur-
atus in
prato spi-
rit. cap.
185.